

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XL. Argumentum. Solvuntur quæstiones duæ. Una, quod non sit Usura mutuare ad acquirendam benevolentiam mutuatarii. Altera quod sit Usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius remutuet mutuanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

repentinæ infirmitates, & absens Parochus non valet præstare esse ad Sacramenta administranda. Undecima, quia S. Ambrosius à tribus semper abstinent, videlicet, à pertractandis Matrimoniiis, à suadenda militia armata, & ab accessu ad alienas domos causa edendi. Cardin. Baron. *Ad Annum* 375. num. 24. in fin. Quæ tria cuicumque Ecclesiastico deberent esse cordi, & præcipue tertium; nam experientia teste, Parochi extra suas aedes convivantes laicis tùm adstantibus, tùm absentibus sæpe sæpius reprehensibiles se prebent.

D E C I S I O XL.

A R G U M E N T U M.

Solvuntur quæstiones duæ. Una, quod non sit Usura mutuari ad acquirendam benevolentiam mutuarii. Altera quod sit Usura mutuari cum pacto, ut mutuarius remuneret mutuantem.

S U M M A R I U M.

1. Benevolentia, & amicitia acquisitio non causat Usuram.
2. Pactum exigendi aliquid titulo gratitudinis est illicitum.
3. Propositio damnata, exigere aliquid ultra fortem tanquam debitum ex gratitudine.
4. Mutuari cum pacto, ut sibi remuneretur, non videtur Usura.
5. Beneficienti est benefaciendum.
6. Usura est peccatum contra iustitiam.
7. Obligatio posita in mutuo præter, vel supra ejus naturam est Usuraria.
8. Injustitia ubi non est, ibi non est Usura.
9. Restitutio ubi non est de jure injuncta, ibi Usura non est.
10. Obligatio imposita mutuuario causat Usuram.
11. Pactum in mutuo de remunerando est Usurarium.
12. Usura est obligare mutuarium, ut veniat ad molendum, vel apothecam mutuantis.
13. Pactum antecedens mutuo de mutuando, & remunerando an sit licitum? Quod non num. 16.
14. Obligatio antidotalis deducta in pactum à mutuantem an sit Usuraria?
15. Obligatio remunerandi ut premium est usura; ut conditio est licita.

An sit Usura mutuari ad acquirendam benevolentiam Mutuarii; non est difficilis Quæstio, quapropter.

Ad hoc Quæsitum omnes dixerunt, non esse Usuram; si quidem benevolentia, & amicitia mutuarii non est pecunia æstimabilis; videlicet, non ex eo, quod non sit pretiosior, quam pecunia, sed quod suapte natura, nec vendatur, nec ematur, consistatque in voluntate, quæ non cogitur; & non egreditur limites naturalis gratitudinis, ut docet. S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. Covarruv. lib. 3. Var. cap. 1. num. 2. in fin. Sotus de Just. & Jur. lib. 5. quæst. 1. art. 2. Reginald. lib. 25. num. 189. Rebell. lib. 8. quæst. 3. num. 1. Lessius lib. 2. cap. 20. num. 39. & 40. & num. 51. & 52. Trullench. in Decalog. lib. 7. cap. 19. dub. 5. num. 3. Tambur. de Triplici Jur. lib. 19. tract. 1. cap. 3. S. 1. cap. 4. S. 1. Card. de Lugo disp. 25. n. 59. Porro Curia Episcopalis hic præcavendum

dixit, ne aliquid deducatur in pactum, vel exigatur ultra fortem tanquam ex benevolentia, vel gratitudine debitum, quia hæc relinquenda est in sua libertate, & mera liberalitate; aliis daretur incursum in illam propositionem 42. ex damnatis à Sanctissimo Domino Nostro PAPA INNOCENTIO XI. uti scandalosam, videlicet 3
Usura non est, dum ultra fortem aliquid exigatur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solum si exigatur ex iustitia debitum.

Sed magis difficilis est resolutio sequentis interrogationis, videlicet; An sit Usura mutuari cum pacto, ut Mutuarius mutuet mutuantem?

Ad hoc Quæsitum negarunt alii; alii affirmarunt, & alii usi sunt distinctione.

Non esse Usuram alii dixerunt. 1. Quia mutuari cum pacto, ut mutuarius adimpleat, quod tenetur ex charitate, non videtur esse Usura. Molina disp. 309. num. 2. Tambur. in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 5. S. 2. num. 9. & post alios plures Caramuel. lib. 2. Theol. Moral. num. 736. Sed mutuarius ex charitate tenetur mutuantem; quia beneficienti est benefaciendum. Arist. 5. Ethic. quem refert S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. Ergo. 2. Quia ibi non est Usura, ubi non est injustitia; quandoquidem Usura nihil est aliud, quam peccatum injustitiæ, per quod unus ex contrahentibus magis gravatur, quam alius. Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 55. Sed in nostro quæsitio mutuarius non magis gravatur, quam mutuator, nihil enim aliud paciscitur, nisi ut faciat mutuantem, quod ab eo sibi factum fuit, id est, ut remuneret. Ergo in hoc pacto nulla est injustitia, & per consequens nulla Usura. 3. Ad incurrendam labem seneratitiam opus est, ut imponatur mutuuario aliquod onus; vel obligatio, quæ sit præter, vel supra naturam mutui. Molina disp. 303. num. 8. Leotard. de Usur. quæst. 1. numer. 3. Nam id, quod ex natura rei inest, potest in pactum deduci. Azor. part. 3. lib. 5. cap. 7. in princip. Sed in nostro quæsitio non videtur imponi onus, vel obligatio præter, vel supra naturam mutui, quia ex gratitudine ob receptum mutuum tenetur mutuarius remunerare; & nihil aliud ab eo mutuantis paciscitur, nisi id, quod sibi ex gratitudine debetur. Ergo. 4. Pro re, quæ mutuo datur, licet accipere tantundem, & ad id mutuarium obligare. Molina disp. 308. num. 2. Lessius lib. 2. cap. 20. num. 60. Ergo pro beneficio dandi mutuum, non erit Usura obligare Mutuarium ad simile, & æquale beneficium reddendum. 5. Illud pactum non est Usurarium, per quod novum incommodum, periculum, aut damnum mutuuario non infertur. Salas & Bannes, quos refert Cardin. de Lugo d. disp. 25. sub num. 49. Sed horum nullum assert mutuario pactum quæsitum nostri, & est simile de eo; qui ex Voto tenetur aliquid facere; cui si injungatur obligatio illud ipsum faciendi, nullum novum incommodum, vel periculum, vel damnum additur. Ergo. 6. Si pactum remunerandi esset Usurarium, ex eo insurgeret etiam obligatio restituendi; quia, ut dictum est, Usura non committitur sine injustitia; & ubi est injustitia realis, ibi intrat obligatio restitutionis. Cardin. de Lugo disp.

d. disput. 25. num. 50. Sed in casu nostri quæ-
sti mutuans nihil teneretur restituere mutua-
tario præter mutuum, quod sibi daret. Lessius
d. lib. 2. cap. 20. num. 50. Ergo non est Usura
mutuare cum pacto, ut mutuarius mutuet
mutuanti juxta diversorum Theologorum do-
ctrinam, quos allegat Molina d. disput. 308. num.
3. Lessius d. lib. 2. cap. 20. num. 59. & Cardinal.
de Lugo d. disput. 25. num. 46. & quos sequitur
Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 19. dub. 6. Rodri-
quez, & Malderus apud Dianam part. 1. tract. 8.
resol. 59. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3.
resol. 52.

10 Esse Usuram alii affirmarunt. 1. Quia per
tale pactum imponitur civilis obligatio ipsi mu-
tuatario, quæ est onus grave. At omne onus
impositum causa mutui facit Usuram. S. Thom.
2. 2. quæst. 78. art. 2. & ibi Cajetan. Petr. Navar.
lib. 3. de restit. cap. 2. num. 239. Ergo. 2. Usu-
raria est omnis obligatio pretio æstimabilis. Co-
varuv. lib. 3. Var. capit. 2. numer. 5. Sylvest.
Verb. Usura 1. quæst. 2. Lessius d. lib. 2. cap.
20. num. 58. Sed quando aliquis in mutuo ex
vi pacti, seu contractus intendit aliquid pretio
æstimabile, committit Usuram. Ergo. 3. Omnis
obligatio, quæ tollit libertatem, inducit Usuram.
Rebellius d. lib. 8. quæst. 4. num. 2. Sed pactum,
de quo in quæsto, tollit libertatem mutuarii.
Ergo inducit Usuram. Sorus lib. 6. de Justitia, &
Jure quæst. 1. art. 2. in princip. Navarrus in Man.
cap. 17. num. 220. 4. Quidquid recipitur ultra
sortem facit contractum usurarium. Sed in
nostro quæsto Mutuans recipiet ultra sortem,
eò quia ultra naturalem, & antidoralem obli-
gationem, qua mutuarius tenetur ei remu-
tuare, exigit obligationem civilem, & ex Justi-
tia; quæ multò major est simplici gratitudine,
nam obligat ad culpam, & vinculum ponit in
foro fori ad remutuandum. Ergo talis obli-
gatio est Usuraria; & ita communiter tenent
omnes Theologi, ut videre est apud Molin. d.
disput. 308. Rebell. dict. lib. 8. quæst. 4. Reginald.
lib. 25. num. 196. Bonacin. de contractib. tom. 2.
disput. 3. quæst. 3. punct. 3. num. 6. Tamburin. in
Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 5. §. 2. num. 8. Nicolium
in Floscul. Verb. Usura. num. 3. & in Lucubrat. Ci-
vil. lib. 3. tit. 15. num. 12. Salam de Usuris dub. 9.
& Cardinal. de Lugo d. disput. 25. à num. 47. &
segg. qui omnes ostendunt, usurarium quoque
esse, mutuare cum pacto, ut quis veniat ad mo-
12 lendinum, vel ad apothecam, vel ad scholam
mutuantis; eò quia per tale pactum inducitur
civilis obligatio, & tollitur libertas, quarum
utraq; est pretio æstimabilis.

13 Alii usi sunt distinctione ista: Vel pactum
concernit mutuum reciprocum ab utraque par-
te statim faciendum; Vel in posterum per Mu-
tuarium Mutuanti dandum. Primo casu non
est usura; quia æqualitas servatur inter utrum-
que contrahentem. Secundo casu erit Usura,
nam mutuarius remanet cum hac obligatio-
ne, & perdit libertatem disponendi de re sua.
Ita ex Reginald. lib. 25. num. 198. Petr. Navar.
de restit. lib. 3. cap. 2. num. 242. Lessius lib. 2.
cap. 20. num. 53. Layman, lib. 3. sect. 5. tract. 4.
cap. 16. num. 3. & Diana dict. part. 1. tract. 8. re-
sol. 60. quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3.
resol. 53. Porro hæc distinctio non placet Mo-
linæ disput. 310. in princip. neque aliis plurimis
Doct. Clericis Tom. II. Lib. IX.

allegatis per Cardinal. de Lugo dict. disputat. 25.
num. 52.

Alii igitur distinxerunt hoc modo: Vel Mu-
tuans deducit in pactum solam naturalem ob-
ligationem, seu ἀντιδορον, ita ut animus sit ac-
cipiendi mutuum à mutuatario tanquam libe-
14 rale donum in compensationem præstiti bene-
ficii; Vel intendit obligare Mutuatarium, aut
obligatione civili, aut saltem aliquo fortiori vin-
culo per pactum illud speciale remutuandi.
Primo casu non erit usura; erit autem in se-
cundo casu, quia omne pactum affert obliga-
tionem justitiæ, & repugnat gratuita, ac liberali
remunerationi. S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2.
ad secundum. Gloss. in Clem. 1. Verb. Onera. De Usu-
ris. Abb. in Cap. Consuluit. in fin. eod. Rebell. lib. 8.
quæst. 4. Layman. dict. cap. 16. num. 4. & Trul-
lench. in Decal. d. lib. 7. cap. 19. dub. 6. num. 2.
& 3. Caterum & hanc distinctionem repro-
bat Pignatell. tom. 4. Consult. 75. num. 33. quia
non licet obligare neque ex sola gratitudine;
demitur enim libertas, quæ est pretio æstima-
bilis. Gloss. in cap. Si faveraveris. 14. quæst. 3.
Abb. in cap. Consuluit. in fin. de Usur. Et eò mi-
nus attentata damnatione Propositionis 42. de Usura,
facta per Sanctissimum Dominum Nostrium
PAPAM INNOCENTIUM XI. de quo
supra.

Tertia itaque fuit distinctio; quod vel re-
mutuatio petitur ut pretium primi mutui; vel
ut conditio, sine qua mutuans non vult mu-
15 tuare. Exempli gratia, tu petis à me frumen-
tum mutuo, & ego dico tibi, libenter mutua-
bo, si & tu mutuas mihi vinum. Si ut pre-
tium; est usura. Si ut conditio; non erit
usura. Molin. disputat. 308. §. dubium est. Lay-
man. dict. cap. 16. num. 3. Vers. Pro concordia urri-
usque sententia. Cardinal. de Lugo dict. disput. 25.
num. 52. ubi ait: Aliud enim est petere mutuum pro
pretio, aliud verò ut Conditionem: petere pro pre-
tione facit Usuram, cum petatur supra pretium æqui-
valens, ut dictum est: ut conditio autem, non fa-
cit usuram, quia sicut potes nolle mutuum dare ei,
quem ingratum, & indignum expertus es; & qui noluit
tibi petenti mutuum, cum tu ei prius mutuasses: ita po-
tes nolle mutuum ei, quem seis postea ingratum futu-
rum, & non mutuaturum, quando indigebis. Si ergo
seis, nec modo tibi velle mutuum vinum, quo indiges, po-
teris ingrato nolle mutuum frumentum, quod petit: quo
casu mutuum vini non est pretium, sed experimentum ad
videndum, an in ingratum beneficium sis.

Hæc Tertia distinctio magis placuit Curie
Episcopali, quam latius comprobatur idem Car-
dinal. de Lugo dict. disputat. 25. à num. 53. & seqq.
Verum quia, ut ipse subdit ibidem, Periculosa
quidem est talis conventio, ne usurarium gravamen sub
16 ea pallietur: ideo iis, qui affirmarunt, in nostro
quæsto pactum esse Usurarium, tutius est ad-
hærere, & in praxi eorum sententia est tenen-
da, ac consulenda; non obstantibus argu-
mentis contrariæ opinionis, quæ omnia resol-
vuntur ex eo, quod pacisci de remutuo cum
mutuatario est quid pretio æstimabile, cum
auferat ejus libertatem, & inducit aliquod onus,
& incommodum, quod non inest rei, imo ex-
cedit naturam mutui, & transcendit natura-
lem, antidoralemve mutuarii obligationem;
ut bene considerat etiam Salas de Usur. dub. 10.